

donisque communicabilibus, vi unionis illius, foecundissima profluere & resultare. Cum itaque prius, nempe *unionem non esse personalem*, docere nolint, sed conscientia potius eos cogat abire a Nestorii partibus ab una parte, quidni concedant promptissime alterum tota mente, totoque nobiscum pectore, non saltem ex communicatione aliqualem unionem & junctionem faciendo, sed *veram actualemque, uti hypostaseos, ita quoque naturarum & idiomatum communicationem, junctioni seu unioni superaddendo?* Hoc itaque ut fiat, & Reformati DEO honorem tribuant, omnibus votis expetendum nobis videtur. Quamdiu vero in his momentis adeo liquidis nullus apparet nobiscum consensus, quid valeant Allocutoris consilia, vel ex uno hoc capite apparere Lectori pio, & abunde constare poterit.

#### Momentum VI.

**M**inime igitur hic Logomachia affectus, ambitio, sectae studium, vel praejudicia a partibus Ecclesiae nostrae unionem impediverunt, sed sola discrepantia in hoc quoque Articulo fundamentali.

Ex 9.

§. I. **A**udiantur verba Allocutoris: *Mira res, quae tanta logomachia, tot sapientum Virorum animos haecenus in suspensio tenere potuerit. Sed quid affectus, quid punctum honoris, quid studium sectae, quid praejudicia non faciunt?* Brevi complexu verborum in Ecclesiam nostram admodum gravia congeruntur. An *logomachia* dicenda sit praesens controversia? ex supra dictis abunde cognosci poterit. De *vocabilis meris non litigari*, professi sunt dudum Autores F. C. in praefatione, & de re magni ponderis agi, ipsa conscientia recte expendentibus dictabit, in qua utinam consensus nobiscum esset expectandus vel sperandus! Quinam praeterea *sapientes*

H sint